



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Recenter conversis quaedam sunt peccati occasio quae non aliis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



## §. II.

*Recente conversis quedam sunt peccati occasio  
quæ non aliis.*

**A**D hanc autem curam pertinet, omnes peccati occasiones sibi præscindere; non eas dumtaxat, quæ omnibus communiter vitandæ sunt; sed & illas ex quibus speciatiim sibi, ex sua infirmitate, peccati periculum videt imminere; ut meritò omni animæ à pessimæ consuetudinis suæ loco recedere cupienti, necessarium dixerit Aëlredus: *Ut sicut damula insequentibus, sic illa timens maternas fugiat peccatorum.* Et illi coævus Bernardus: *Quia vero, ait, non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non querit: sic veræ compunctionis iudicium opportunitatis fuga, subtractio occasionis.* Cujusmodi id momenti sit, indicat Salvator dum ad vitandum peccati scandalum omnem nos vult necessitatem, atque conjunctionem abrumpere: *Si oculus tuus dexter, inquit, scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Non dicens de oculo (ait Sanctus Chry-

Serm. 12.

in cap. 13.

Isa.

Serm. 1.

Pasch. cap.

16.

Matth. 5.

vers. 29.

In Psal. 4.

Chry-



Chrysothomus) quidenim mali fecerit oculus, si sanus est animus? Sed de amicis necessariis, & qui sunt nobis loco horum membrorum, & nos ledunt, hæc constituit; jubens eorum etiam amicitiam contemnere, ut sua salus efficiatur tutior. Hic est fructus pœnitentiæ, ait alibi Psal. 6. bi, hoc est lucrum lacrymarum: mens enim qua ita est contrita, nullâ deinceps libidine tenetur. Hoc ipsum nos quoque faciamus, & si sit quispiam, vel ipso diademate redimitus, nos autem ledat, aspernemur ejus amicitiam.

Has tamen peccati illecebras atque occasiones quamvis vitare quis velit, effugere tamen nequit, ut non multos adhuc deceptionis laqueos illi tendant propria caro, mundus, & diabolus. Propter quod cuilibet dicitur: Memento, quoniam in medio laqueorum ambulas. His facilè est ex peccati reliquiis adhuc infirmum animum capi. Ac per hoc magna ei peccati occasio est ista sua infirmitas. A qua proindè nisi congruis aptisque mediis sanari satagat, nondum simpliciter vult peccati recidivum cavere. Hic malè nonnulli torporem suum confessione solantur; ipsam enim non debitè instituunt, nisi absolutè velint à relapsu continere. Non id autem volunt, quamdiu in hâc infirmitate expressè vel interpretativè



tativè volunt persistere. *Ne securus sis*, ait D. Augustinus, *cum confessus fueris peccatum, tanquam semper paratus ad confitendum & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo.* *In Psal. 37.*  
*Quid est curam gerere pro peccato tuo? curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operam ut sanetur? hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere ut sanes peccatum. Hoc est curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt, ad abluendum & sanandum peccatum meum.*

s. III.

*Non levi studio, nec parvo conatu recenter conversis opus est.*

**N**on levi autem plerumquè ad hoc opus est studio, aut parvo conatu. Etenim ex innatæ quâ nunc languet omnis anima, concupiscentiæ pondere ad mala inclinamur; sic ut difficile sit adversus hunc corruptæ naturæ nisum ad meliora proficere, aut in bono proposito persistere. *Mens etenim mutabilitatis suæ pondere*, ait D. Gregorius, *ad aliud semper impellitur quàm est, & nisi in statu suo arctâ custodia.* *L. II. mar. cap. 27.*